



213.

46r.

# Disputatio XXI.

D E  
IN OFFICIOSO TESTAMENTO.

Q V A M

Q. F. F. F. Q. F.

S V B A V S P I C I I S

VIRI CLARISSIMI  
D N. DOCTORIS HENRI-  
CI BOCKERI, IVRIS CONSULTISSIMI,  
*Antecessoris in inclita Tubingenium Vniuersitate lauda-*  
*tissimi, Praeceptoris sui summè obser-*  
*uandi,*

SOLITI ET ORDINARII EXER-  
citij gratiâ defendere tentabit

JOHANNES IACOBVS PLEBST  
*Stutgardianus.*



T V B I N G Æ  
Apud Georgium Gruppenbachium.

A N N O M. D C.

rrr



462

# Disputatio XXI.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

## THEISIS I.

**N**TERDICTIS, DE QVIBVS HACTENUS, proximæ sunt in rem actiones, quæ voce vna vindicationes (a) itemq; petitiones (b) vocantur, vnde iudicia earum petitoria appellantur (c)

a) l. Actionum 25. in prin. ff. de oblig. & actionib. & §. Appellamus autem Instit. de actionibus (b) l. actio 28. ff. de oblig. & act. (c) l. Qui petitorio 36. in prin. ff. de rei vindicat. & c. cum dilectus, extra de causa poss. & proprietat.

## II.

Est autem duplex vindicatio, siue petitio; vna de rerum vniuersitate, altera de rebus singulis.

l. i. in prin. ff. de rei vindicat.

## III.

De rerum vniuersitate est petitio hereditatis; quæ duplex est: Querela inofficii testamenti (a) & petitio hereditatis ita specialiter dicta. (b)

a) Est & hac petitio hereditatis l. Si quis 34. C. de inoffic. testam. l. pen. §. Sed quemadmodum, ff. de bonor. poss. contratab. Cuiac. in Paratit. ff. & Cod. de inoffic. testam. & Tit. de petit. heredit. & ad Iul. Paul. lib. 4. recept. sentent. Tit. 5. S. Qui inofficium. sed vide Vigl. ad prin. Tit. Instit. de inoffic. testam. num. 6. Arnold. ab Haersolte in aduersar. de actionib. part. 2. act. 4. num. 2. Gœdd. disputat. de inoffic. testam. thes. 4. (b) Tot. Tit. ff. & C. de petit. heredit.

## IV.

Querela inofficii testamenti est vindicatio (a) proindeq; actio (b) qua testamentum inofficium rescinditur, (c) & defuncti hereditas petitur (d) Eadem etiam accusatio de inofficio testamento dicitur. (e)

a) l. Qui repudiantis 17. ibi, non recte vindicasset, ff. de inoffic. testamento, Et facit hic, quod ipsa querela dicitur petitio hereditatis in d. l. Si quis 34. C. de inoffic. testam. (b) l. Quemadmodum 7. vers. Quid ergo, l. nihil 12. in prin. l. Nam et si 15.

rrr 2 §. Filius

§. Filius. ff. de inoffic. testam. l. liberi 28. vers. Si autem, & l. omnimodo 30. in prin-  
C. d. t. Instit. eod. Tit. in prin. vers. Non ergo, ibi, agere possunt; Confert eodem,  
quod & querela inofficioæ donationis dicitur actio in l. vlt. C. de inoffic. donat. Do-  
nello quog, lib. 19. comment. cap. 3. querelam inoffic. testamenti actionem appellat.  
(c) d.l. Qui repudiantis 17. l. materia 19. in fin. ibi, cùm rescisso testamento, ff. h. t. &  
Nouel. 115. cap. 3. in fin. ibi, testamento euacuato, & cap. 4. in fin. ibi, sed rescisso  
testamento. (d) l. Filium 20. §. Sed quemadmodum ff. de bonor. poss. contratab. d. l.  
Si quis 34. ibi, nulla hæreditatis petitione ex nomine de inofficio constituta, vel præ-  
parata C. b. t. l. Papinianus 8. §. Quoniam, ibi, si dicam inofficiosum, non totam hæ-  
reditatem debeo, sed dimidiam petere, ff. eod. tit. Ang. ex sententia Fabri ad Tit. In-  
stit. de inoffic. testamento in prin. num. 6. & VVesenbec. in Paratit. ff. cod. tit: nu. 10.  
& ad Schneid. in Instit. d. t. in prin. num. 15. (e) l. 6. §. vlt. & l. seq. Qui repudi-  
antis 17. l. si institutum 27. in prin. ff. h. t.

## V.

Dispiciendum igitur, I. quid sit inofficiosum testamentum, II.  
quibus, & aduersus quos competit inofficio querela. III. ad quid  
detur hæc querela. IV. Quando ea cesset. V. Quæ poena sit actoris, qui  
hoc iudicio victus est.

## VI.

Testamentum inofficiosum est, quod quidem iure subsistit, sed  
in quo vell liberi, in testatoris potestate constituti, immerito exher-  
editati sunt, vel cæteri liberi, aut parentes, aut fratres sorores ué germani  
& consanguinei immerentes exhereditati vel præteriti sunt, (a) Ita di-  
ctum, quod non ex officio pietatis factum sit (b)

a) l. 3. l. 5. §. 1. l. liberi 28. C. b. t. Instit. eod. tit. in prin. Iul. Paul. lib. 4. sen-  
tent. Tit. 5. Cuiac. in Paratit. Cod. eod. tit. (b) l. 2. ff. d. t. & eod. Tit. Instit. in  
prin.

## VII.

Vt igitur inofficiosum sit testamentum, tria coniunctim requi-  
runtur. Primum est, vt testamentum per se subsistat, nec ipso iure nul-  
lum, aut voluntate testatoris, vel ipso iure infirmatum sit.

§. Nam autem, Instit. h. t..

## VIII.

Ipsò iure nullum est testamentum, quod a persona, quæ restari  
iure nequit, conditum est, (a) quodq; solennitate iuris destituitur (b)

& in

403.

### ISPVFATI O XXI.

& in quo liberi, potestati patriæ subditi sunt præteriti, vel non rite exheredati, (d) siquidem pro præteritis habeantur (e)

a) Quæ personæ iure testari nequeunt, dictum est sub classe 2. disputat. I. thesi 17. & seqq. (b) De solennitate testamenti egiimus sub dicta classe 2. disputat. 2. (c) ut ostendimus sub dicta classe 2. disputat. 3. thesi 9. & seqq. (d) l. 4. §. Sancimus, C. de liber. præter. Tit. Instit. de exhereditat. liber. in prin. l. Inter ceterago. in fin. ff. de liber. & post. (e) §. Eadem hæc. Instit. de hereditat. quæ ab intestat. defer.

### IX.

Præteritis hisce liberis, testamentum ipso iure adeò nullum est, vt nec legata, nec cætera testamento relicta debeantur.

1. Filio 17. ff. de iniusto, rupt. irrit. fact. testam. Cuiac. ad l. 4. circa finem, ff. de lib. & posth. & ad Nouel. 18. Dissentient communiter Dd. ad Auth. ex causa. C. de liber. præter.

### X.

Voluntate testatoris infirmatur testamentum rescissione tabularum eius, resignatione item, & deletione illius, tum etiam aliis testamenti ordinatione, & simplici testamenti reuocatione.

De his infirmandi testamenti modis differimus sub dicta classe 2. disputat. IX. thesi 3. & seqq.

### XI.

Ipsò iure infirmatur testamentum tum agnatione sui heredis, & capitis diminutione testatoris, tum eo publici iudicij sententia ad mortem damnatum, tum etiam desertione heredis, & si militis sit testamentum in castris factum, tempore anni post missiōnem ipsius militis exacto.

Hos testamenti infirmandi modos exposuimus sub dicta classe 2. disputat. IX. thesi 24. & seqq.

### XII.

Alterum, quod h̄ic desideramus, est, vt persona, quæ pietatis quodam officio institui heres debuit, non sit instituta, sed vel rite (a) exheredata, vel præterita (b) ea scilicet præteritione, quæ pro exhereditatione habetur. (c)

a) Quomodo rite exhereditatio fiat, exposuimus suprà sub dict. classe 2. disputat. 3. thesi 16. (b) l. 3. l. Nam & his 5. §. 1. ff. b. t. & seqq. & Instit. eod. Tit. in prin. & Nouel. 15. cap. 3. in prin. & cap. 4. in prin. (c)

CLASSIS QUARTÆ

XIII.

Pro exheredatione habetur præteritio, quia mater, vel auus maternus suos liberos (a) vel liberi parentes suos, (b) vel frater aut soror consanguineum fratrem vel sororem (c) testamento suo omittit.

a) §. Mater, Instit. de exheredat. liber. (b) l. Pater filium 14. ff. h. t. l. cum filium 17. C. eod. Nouell. 115. cap. 4. §. vlt. (c) l. Fratris 21. & l. fratres, 27. C. h. t. & l. i. ff. eod.

XIV.

Tertium, quod hīc requirimus, est, vt eiusmodi aliqua persona exheredata, vel præterita, immerito, id est, sine iusta causa & inique exheredata sit, vel omissa siue præterita.

a) l. Nam & his 5. §. 1. ff. h. t. & Tit. Institut. eod. in prin. Et notandum hīc, quod aliud est non ritè, id est, non ut oportet exheredare, & exheredare immerito, siue indignè aut inique. De ritè facta exheredatione loquitur Vlpian. in. l. non putauit 8. §. Nequeius, ff. de bonor. poss. contratab. & Iustinian. in §. Eadem hæc, Institut. de hereditat. quæ ab intestat. defer. De exheredatione immerito siue indignè facta est textus in d. l. 5. §. 1. ff. h. t. Suo herede non ritè exheredato testamentum nullum est ipso iure, l. 4. §. Sancimus, C. de liber. præter, & Tit. Institut. de exheredat. liber. in prin. Siquidem exheredatio non ritè, siue, non ut oportet facta pro præteritione habeatur, dict. §. Eadem hæc, Institut. de heredit. quæ ab intest. defer.

XV.

Enumerantur autem à Iustiniano causæ 14. ex quibus liberi à parentibus iuste exheredari possunt, (a) Item octo, propter quas liberi suos parentes iure exheredant, (b) & tres, ob quas frater aut soror fratrem vel sororem meritò exheredare potest (c)

a) Nouel. 115. cap. 3. De his vide sub classe 2. disputat. 3. thesi 37. & seqq. (b) Dict. Nouel. 115. cap. 4. (c) Nouel. 22. cap. 47. Et quoniam scimus, Easq; proposuimus sub dict. disputat. 3. thesi 39.

XVI.

Et ut alibi (a) sic & hoc loco asserimus, nulla alia ex causa integrum esse parentibus liberos suos exheredare, quam quæ in ipsa Iustiniani constitutione nouella continetur. (b)

a) Dicta disputat. 3. thesi 44. (b) Perfundamenta ad dictam thesin adscripta. Adde Vigl. ad. §. vlt. num. 6. Institut. h. t. de inoffic. testam.

Sed

404.

## D I S P U T A T I O XX.

### XVII.

Sed quæritur, vtrum postumi exhereditatio ipso iure vitiet testamentum, an verò illud, vt iure validum, per querelam inofficiosi rescindendum sit? Posterior nobis placet.

I. Maximum vitium. 4. in fine C. de liber. præter. & §. Postumi quoq; Instit. de exhereditat. liber, vbi Viglius num. 8. & 9. tum etiam pleriq; alij dissentunt, hoc argumento, quod nulla ingratitudinis causa in postumum cadere posse. Sed refelluntur hi omnes, sententia axiomatis sequentis, & ipse Vigl. ad §. Tam autem, u. 6. Instit. h. t. post Alciat. lib. 4. Paradox. cap. 16. scribit, exhereditato postumo, valere nihilominus testamentum.

### XVIII.

Non caret cotrouersia & illa quæstio, quain causa sit testamentum, si exhereditatio, vel nulla ex causa facta sit, ve ex causa quidem, sed non iusta, vel iusta quidem ex causa, sed exhereditationi non adscripta? Et licet vulgo recepta sit sententia, ipso iure testamentum esse nullum, (a) verius tamen est testamentum iure valere, sed per querelam inofficiosi euacuari, & rescindi posse. (b)

a) Per text. in Nouel. 115. cap. 3. in prin. & cap. 4. in prin. (b) Per textus & quorundam Interp. autoritates ad thesin 46. disputat. 3. class. 2. Adde etiam Viglum ad Rubr. Instit. num. 4. & 5. & Fachinæ. lib. 4. controuers. cap. 9. Donel. lib. 19. commentar. cap. 4. pag. 274.

### XIX.

Cognito quid sit inofficium testamentum, videamus, quibus, & aduersus quos competit inofficio querela. Ex prædictis autem haud obscure colligimus, tria tantum esse genera eorum, quibus inofficio querela competit. Primum genus continet liberos testamento parentis iniuste exheredatos, vel præteritos, non solum naturales etiam postumos, sed & adoptiuos, in defuncti testatoris potestate qui fuerunt.

§. Tam autem, & §. Postumi quoq; Instit. h. t. & l. Postumus 6. in prin. ff. eod. t.

### XX.

De filio naturali ex concubina progenito haud iniuria dubitaveris. Nos tamen & huic inofficio querelam competere putamus eo casu, quo iusti liberi, & vxori iusta desunt, ob legitimam scilicet portionem, (a) quæ est sextans, in quem vnâ cum matre sua succedit. (b)

a) Cuiac. ad Nouel. 18. (b) dict. Nouel. 18. & 89. cap. XII. §. 4.

Spurium

C L A S S I S Q U A R T A E

X X I.

Spurium verò testamento matris exheredatum, præteritumque de inofficio matris testamento rectè quæri iuris autoritas arguit.

I. Si suscepta 29. §. 1. ff. h. t.

X X I I.

Et licet pater filium in testamento ita præterierit, aut exheredauerit, ut eum filium esse negaret suum, attamen ei, si est filius, querela inofficiosa datur.

I. Si restituta 27. §. 1. ff. eod. tit.

X X I I I.

Alterum genus comprehendit parentes testamento liberorum indignè exheredatos, vel præteritos. Et competit querela inofficiosi non patri tantum, etiam adoptio: sed & matri, auo, auiæ, auo materno, & generaliter quicunq; parentum locum obtinent.

I. I. l. aduersus 30. ff. h. t. §. Non autem liberis tantum, Instit. eod. tit & §. vlt. Instit. de exheredat. liber. Nouel. 15. cap. 4. §. vlt.

X X I V.

Tertium genus complectitur fratres & sorores germanos, & consanguineos, iniquè exheredatos, vel præteritos. Ut erini autem fratres, & sorores inofficiosi querela uti non possunt, multò minus cæteri cognati, qui sunt ultra fratres, & sorores. Unde hi melius fecerint, si in anibus se non vexarent sumptibus, cum spem obtinendi habeant nullam.

I. I. ff. h. t. l. fratri 21. & l. fratres, 27. C. cod. t. §. Soror autem, vers. ultra fratres, Instit. h. t.

X X V.

Non aliter tamen his fratribus & sororibus inofficiosi querela competit, quam si turpes personæ heredes sint institutæ, (a) quo casu, licet testamentum codicillarem habeat clausulam, non tenetur tamen frater aut soror retenta legitima hereditatem instituto restituere. (b)

a) d. l. Fratres 27. C. de inoffic. testament. & §. Soror autem, Instit. eod. tit. (b) per l. Titia 13. ff. h. t. & l. nec fideicomissa 36. ff. de legat. 3.

X X VI.

Est autem turpis persona, qua infamiæ, turpitudinis, vel leuis notæ maculâ laborat.

d. l. Fra-

406.

D I S P V T A T I O   X X I .

d. l. Fratres 27. C. h. t. l. 2. C. de dignitatib. lib. 12.

X X V I I .

Infamiae maculam dicimus veram iuris infamiam, (a) Turpitudinis macula Constantino Imp. (vti remur) est infamia facti, (b) quæ opinione bonorum & grauium hominum (c) ob proprium aliquod turpe factum, id est, delictum (d) alicui non iudicato, vel per procuratorem iudicium accipienti irrogatur. (e) Leuis notæ macula eidem Imp. quæ sit, nostris aqua hæret, (f) Arbitramur autem eos dicilabore leuis notæ macula, qui quidem nihil deliquerunt ipsi, aliquid tamen est, quod apud graues & bonos homines opinionem eorum onerat, ut sunt, quos pater testamento suo increpauit, (g) item spurijs (h) cadauerum excoriatores, carnifices. (i)

a) Donel. lib. 19. comment. cap. 4. pag. 269. in fin. *Quibus modis hæc infamia irrogetur, exposuit Præses lib. disputat. ad tres priores partes Pandect. disputat. XI. thesi X I. & seqq. Item Donel. lib. 18. commentar. cap. 7. & 8.* (b) Donel. d. lib. 19. comment. cap. 6. pag. 154. lin. 24. & seq. improbat vulgarem illam distinctiōnem, qua infamia diducitur in iurus infamiam, & infamiam facti, hac ratione, quod nullifama & dignitas ad imatur nisi iure, nulli infamia irrogetur, nisi iure. Verum errare mihi videtur Donellus, propter l. 2. ff. de obsequijs parentib. & patron. præst. Vbi Vlpian. Iurisconsultus, licet, enim, ait, verbis edicti non habeantur infames, ita condamnati, re tamen ipsa & opinione hominum non effugiunt infamie notam. Ecce Iurisconsultus hic duo facit infamie genera, vnum quod eos continet, qui iure notantur infamia, alterum quod complectitur hos, qui tantum re ipsa, id est, ipso turpi facto suo, & hominum opinione notantur. (c) d. l. 2. ff. d. t. (d) Delicta sunt turpi facta l. 1. in fin. l. 2. l. 4. & l. pen. ff. de condic. ob turp. caus. l. Generaliter 26. iunct. l. si flagitiij 123. ff. de verbor. oblig. & l. iurisgentium 7. §. si ob maleficium, 3. ff. de pact. (e) d. l. 2. ff. de obsequijs parent. & patr. præst. Quedam delicta non per se, sed si ex ipsis delinquens condemnatus fuerit, infamiam iuris irrogant, ut ostendi in dicta disputat. XI. ad tres priores Pandectar. partes, thesi 16. & seqq. & scribit Donel. dict. lib. 18. cap. 6. §. Hoc constituto, vers. alterum eorum, & cap. 8. Vnde sequitur, si ob eiusmodi aliquod delictum non fuerit iudicatus delinquens, cessare in eo iuris infamiam, Quia tamen ipsum scelus, & vitæ turpitudine inquinavit, infamiam facti sustinet, l. 2. C. de dignitatib. lib. 12. & d. l. 2. ff. de obsequijs parentib. & patr. præstand. (f) ut conuincitur ex his, quæ scribit post alios Ferd. Vaf. lib. 1. de testato-

sss

ris po-

ris potentia, §. X. num. 68. (g) l. Ea, quæ pater 13. C. de his qui not. infan. (h) Spurius neq; iuris notatur infamia, neq; notatur infamia facti, ob stuprum scilicet parentum, cùm ipsemet nullam turpitudinem commiserit, l. Spurijs 6. in prim. ff. de decurioribus c. Nisi 10. §. personæ, Ext. de renuntiat. can. 1. distinct. 56. nec parentum notâ maculari debeat, nè ipsorum delictum huic innocentî pœnæ sit, l. i. §. In filijs 2. vers. in auo. & §. pen. ff. de Decurionib. neq; alieno odio prægrauetur; contra l. Si quis 33. §. legis autem, C. de inoffic. testam. sed ex nostro proprio delicto autoritate legum dignitas nostra minuatur, aut consummatur, l. pen. §. Existimatio ff. de varijs, & extraord. cognit. Quia tamen naturalis quoq; filius ex concubina progenitus, vitio labrare dicatur alieno, parentum scilicet, l. vlt. C. de naturalib. liber. & satus iniuriosum existimetur aliquem nominare spuriū, qui legitimè natus est, l. Si qua illustris s. C. ad Senatusconsultum Orphit. & filius Sacerdotis defectus laborare dicatur notâ, quæ eum ad sacros ordines promoueri impedit, c. accedens, extra de purgat. Canonica. Sacra quoq; scriptura liberos ex illegitimo thoro conceptos ignominia affectos arguat, Deuter. cap. 23. vers. 2. Ecclesiastici cap. 23. circa finem, & sapientiae cap. 3. vers. Filij autem, Ius item Canonicum eos degeneres & ignobiles vocet, can. Si gens Anglerum, distinct. 56. & infamia notet, ac infames esse censeat, can. Coniunctiones, 35. quæst. 2. & 3. & c. per venerabilem. Qui filij sint legitimii dubitandum non est, quin per leuis notæ macula aspersa significantur ipsi spurijs in dicta l. Fratres 27. C. de inoffic. testament. cui consonat l. 2. C. de dignitatib. lib. 12. (i) Faber. ad §. Soror., Instit. de inoffic. test. Ioan. Schneid. ad §. Non autem liberis, num. 17. Instit. d. t.

## XXVIII.

Vnde non probamus Donelli (a) interpretationem, sentientis, quod per turpitudinis maculam in lege Constantini Imp. (b) significetur ea macula, quæ aspersa dicitur illi, qui ordine motus est, vel relegatus, vel fustibus cæsus, cùm tamen cuiusq; horum etiam dignitas A V C T O R I T A T E L E G V M minui (c) & relegationis pœna, tûm etiam fustium iectus ad existimationem pertinere dicatur (d) & eorum etiam dignitas minui traditum sit (e) qui perpetuo edicto (f) infamiae causa enumerantur.

a) dict. lib. 19. commentar. cap. 4. pag. 270 (b) dict. l. Fratres 27. C. de inoffic. testam. (c) l. pen. §. Existimatio & §. Minuitur. ff. de varijs, & extraord. cognit. (d) L. capitaliū 28. §. Cæteræ pœnæ 1. ff. de pœnis (e) d. l. pen. §. Minuitur. in fin. ff. dict. tit. (f) De quo in l. i. & cot. Tit. ff. de his, qui notantur infam.

Nec;

407.

## XXIX.

Neq; admittimus eiusdem Donelli, (a) explicationem, quā per leuis notæ maculâ aspersos Constantinum, (b) denotare ait parentem, & patronum, qui doli, vel iniuriarum actione conuenti, iudicium non per se, sed per procuratorem acceperunt. Cū enim hi re ipsa, id est, ob proprium suum delictum non effugere notam infamiae dicantur, (c) certè haud rectè asseritur, ipsos leuis tantum notæ maculâ aspergi.

a) Dicit. cap. 4, pag. 270. (b) dict. l. Fratres 27. C. de inoffic. testam. (c) d. l. 2. ff. de obseq. parentib. & patr. præst.

## XXX.

Si ergo immetitò exheredatus sit frater, aut soror, instituta meretrice, (a) locus erit querelæ inofficiosi.

a). Est enim meretrix persona turpis l. 3. ff. Si à parentib. quis manumiss. fuer. & l. 4. §. sed quod meretrici, 3. ff. de condic. ob turp. vel iniust. causam, Cuiac. in lib. 14. question. Papin. pag. 361.

## XXXI.

Nunquid idem sentiendum si concubina sit heres instituta à concubino suo exheredato, vel præterito indignè consanguineo fratre aut sorore? Dd. ita communiter sentiunt, (a) quibus legum autoritas suffragatur, (b)

a) Ang. ad l. 1. num. vlt. ff. de inoffic. testam. & add. l. Fratres 27. num. 1. C. de inoffic. testam. Iason, ibidem num. 10. (b) Nam & leuis notæ macula in institutis facit locum querelæ inofficiosi, vt supra diximus, Et confert huc, quod & liberi ex concubinatu, vitio laborare dicuntur alieno parentum scilicet. in d. l. vlt. C. de naturalib. liber.

## XXXII.

Spurio quoq; instituto à parente suo, consanguineus frater & soror querelam inofficiosi mouere possunt.

Spurius enim, vt prius ostendimus, leuis notæ macula laborat, Sentiunt idem Dd. quos refert, & sequitur Hartman. Pistoris, lib. 1. quest. iur. quest. 30. Vide quoque Jacob. Thoming. decis. 48. & Faching. lib. 4. controvers. cap 93.

## XXXIII.

Possunt item querela inofficiosi testamenti agere ijdem, si cadauerum excoriator, vel carnifex institutus sit hæres.

*Faber ad dict. §. Soror. Instit. b.t. & Ioan. Schneid. ad §. Non autem, nu. 17. Instit. d.t.*

## XXXIV.

Quid verò si duobus heredibus institutis, vnius persona sit turpis, alterius honesta? Ex sententia Vlpiani pro parte turpis personæ testamentum per querelam rescindi potest.

*I. Circa 24. ff. de inoffic. testam.*

## XXXV.

Et siue iure ciuili quis adeat hereditatem, siue Prætorio iure bonorum possessionem agnoscat, agere querela inofficiosi poterit; tum etiam eius heredes cœptâ controuersiâ, vel præparatâ, vt si ipse heres, vel bonorum possessor deceperit posteaquam ad mouendam inofficii querelam venit, vt si comminatus tantum accusationem fuerit, vel usq; ad denunciationem, vel libelli dationem processerit.

*I. Postumus 6. §. vlt. & I. seq. vbi Cuiac. ff. de inoffic. testam. ex quo loco, vt ex I. 1. C. eod. intelligimus, acturum de inofficio priùs adhuc hereditatem, vel bonorum possessionem petere.*

## XXXVI.

Competit autem querela inofficiosi testamenti aduersus institutum heredem, (a) etiamsi Imperator sit; (b) vel vnu ex liberis, aut aliquis ex municipibus (c)

a) *I. Sinon mortis, 25. §. 1. l. Si instituta 27. §. pen. l. si suspecta, 29. in prin. ff. de inoffic. testam. l. si herendum 10. & l. cum duobus 13. C. ead. tit. (b) l. Papinianus 8. §. Si Imperator 2. ff. b. t. facit l. Ex imperfeto 23. ff. de legat 3. & l. 3. C. de testament (c) l. pen. §. 1. ff. de inoffic testam.*

## XXXVII.

Competit item aduersus fiscum, qui in locum instituti heredis successit.

*d. l. Si herendum 10. C. b. t.*

Con-

408.

D I S P U T A T I O   X X I .

X X X V I I I .

Conceditur etiam aduersus fideicommissarium heredem, cui ex  
Senatusconsulto Trebelliano à fiduciario herede, restituta est heredi-  
tas.

*I. i. C. eod. tit.*

X X X I X .

Tribuitur denique aduersus eum, qui contra tabulas bonorum  
possessionem accepit.

*I. Filium 20. in prin. vers. sed quemadmodum. ff. de honor. poss. contratab.*

X L .

Sequitur ut dispiciamus, ad quid competit querela inofficiosi:  
cuius capit is inspectio duplex est: Vna de fine huius actionis; altera de  
eius re subiecta.

X L I .

Finis querelæ inofficiosi testamenti hic est, ut testamentum sen-  
tentia Iudicis pronuncietur inofficium heredis institutio rescinda-  
tur, testamentum ad causam intestati deducatur, atq; hereditas ab in-  
testato obtineatur.

*I. Postumus 6. §. 1. l. Papinianus 8. §. pen. l. si pars. 10. l. Titia 13. in fin. l. Qui repu-  
diantis 17. & l. Mater. 19. ff. h. t. & Nouel. 115. cap. 3. in fin. & cap. 4. in fin. Donel.  
lib. 19. comment. cap. 10.*

X L I I .

Antiquitù s quidem per querelam inofficiorū totum rescindeba-  
tur testamentum, ut nec legata, nec libertates datūs præstare actor te-  
neretur (a) Iure autem novo rescinditur duntaxat heredis institutio,  
legata, fideicommissa, & datæ libertates saluæ manent. Quæ actione  
ex testamento peti possunt. (b)

a) d. l. Papinianus 8. §. pen. & l. Qui repudiantis. §. vlt. ff. de inoffic. testam.

(b) dict. Nouel. 115. cap. 3. in fin. & cap. 4. in fin. Fachin. lib. 4. controvers. cap X,

sss 3

Res

## XLIII.

Res inofficiosi querelæ subiecta, vel tota est hereditas, vel eius pars quædam. Tantum enim quisq; per hanc actionem petere potest, quantum intestato patrefam. mortuo habiturus esset. Vnde si quis solus ab intestato futurus esset heres, de inofficio agendo recte totam hereditatem petet; Sin pro parte, non totam hereditatem, sed hanc ipsam partem petere debet.

*d.l. Mater. 19. ff. b.t. Cuiac. in lib. 2. Quæstion. Pauli, pag. 29.*

## XLIV.

Ex duabus ergo filiabus vna à matre præterita, altera instituta, placet præteritam non nisi semissem hereditatis, agendo de inofficio, vindicare posse.

*d.l. Mater. 19. & l. si ponas 23. in prin. ff. eod. tit.*

## XLV.

Similiter duobus filijs, qui soli defuncto erant, exheredatis, si unus dicat inofficium, responsum est à Papiniano Iurisconsulto, eum non totam hereditatem, sed dimidiam petere debere.

*l. Papinianus 8. §. Quoniam. ff. b.t.*

## XLVI.

Quod si autem ex duobus liberis exheredatis unus querelam repudiet, aut tempore excludatur, pars eius alteri accrescit, ut qui ab initio per querelam partem solam vindicare poterat, nunc totam hereditatem possit, partem iure suo proprio, partem iure accrescendi.

*l. Quirepudiantis 17. & l. Si ponas 23. §. vlt. vbi Cuiac. ff. h.t. l. si post mortem 10. §. liberi. ff. de bonor. poss. contratab. & Nouel. XXI. de nupijs, cap. 21. Cuiac. in lib. 2. quæst. Pauli. pag. 28. & seq. & in lib. 2. Responsor. Papin. pag. 54. col. 2. & ad l. Papinianus 8. §. Quoniam. 8. & ad l. Filius 22. & duas ll. seqq. ff. h.t. & Donel. lib. 19. comment. cap. 9. Fæchimæ. lib. 4. controuers. cap. 31.*

Proxi-

## XLVII.

Proximum nunc eit, ut videamus, quibus casibus cesseret inofficiosa querela. Et primò locus non est querelæ, si meritò & dignè sit exheredatus aliquis legitima scilicet ingratisudinis ex causa.

Nouel. 115. cap. 3. & cap. 4.

## XLVIII.

Sed quæritur, cui in iudicio de inofficio testamento onus probandi incumbat, exheredato, vel instituto heredi? Et arguit iuris autoritas, quod mouens querelam teneatur quidem probationem præstare, se immerentem exheredatum vel præteritum; (a) heres tamen scriptus, si elogium exheredationis verum dixerit, legitimis modis id probare necesse habet (b)

a) l. Nam & his s. §. 1. ff. h. t. & l. liberi 28. C. eod. tit. & l. Si postumus 14. §. vlt. ff. de liber. & postum. (b) l. Si maritus 22. ibi, neq; iustas offendæ causas prælitisse expreßè conuincitur, & l. seq. l. Omnimodo 30. ibi, Sitamen non ingrati legitimis modis arguantur. C. b. t. l. Cum apertissimè 10. in prin. C. de secundis nupt. & Nouel. 115. cap. 3. in prin. & fin. & cap. 4. in fin. vers. siue igitur. Dissentire videtur Cuiac. ad Nouel. 18. mihi pag. 129.

## XLIX.

Secundò cesseret inofficiosa querela, si exheredato legitima, tota (a) vel pars eius (b) est relictæ.

a) l. Papinianus 8. §. Quoniam 8. ff. h. t. §. Igitur quartam, Instit. eod. tit. (b) d. l. Omnimodo 30. C. h. t. & §. Sed hac ita, Instit. d. t.

## L.

Controuersæ autem quæstionis est, legitima titulo institutionis relictæ esse debeat, an satis sit, si iure legati, fideicommissi, vel donationis sit relictæ? Nos liberis & parentibus exheredatis, vel præteritis, ea præteritione, quæ pro exheredatione habetur, querelam inofficiosa competere arbitramur, etiamsi legati, fideicommissi, aut donarionis titulo, debita portio eis relictæ fuerit (a) In cæteris vero huiusmodi

fin-

singularem titulum, ad excludendam querelam sufficere existimamus. (b)

a) Per Nouel. 15. cap. 3. in pr. ibi, nec si per quamlibet &c. & cap. 5. in pr. Cuiac. ad Nouel. 18. mihi pag. 128. & ad Iul. Paul. lib. 4. sentent. Tit. 5. §. Filius in iudicio. Vigl. ad §. vlt. Inst. h. t. Fach. lib. 4. Controuers. cap. 30. At Ioan. Vaud. diss. lib. 1. var. quæst. 5. (b) Dispositio enim Nou. 18. cap. 1. ibi siue quis illud. d. l. omnimodò 30. in pr. vers. & hæc quidem. C. h. t. & §. Sed hæc ita. Inst. eod. Correcta non est alia noua lege in fratribus & sororibus, proindeq; vigere adhuc putari debet per regulam l. 32. in fin. C. De appellat. & in c. 1. in fin. Tit. De constitutionib. in 6.

## L I.

Hinc si pater testamento etiam inter liberos absq; institutionis titulo, legitimam vni ex liberis relinquat testamentum inutile est.

Fachin. lib. 4. controuers. cap. 24.

## L II.

Et licet dicat pater, se filio centum pro sua legitima relinquere, attamen institutionis titulo non præsumitur eam dare, (a) etsi in numerata pecunia assignet pater filio legitimam, non est cogendus filius acceptare hanc patris dispositionem (b)

a) Fach. d. lib. 4. controuers. cap. 25. (b) Est enim legitima pars substantia paternæ Nou. 18. cap. 1. Fach. d. lib. 4. cap. 33.

## L III.

Est autem legitima, siue debita portio, pars quædam illius portionis, quæ ab intestato alicui debetur; quæ olim erat quarta illius debitæ portionis (a) hodiè verò pro numero personarum intestato succedentium, vel triens, vel semis, (b) non modò in liberis, sed & eius fratribus & sororibus, (c) Parentum legitima semper est triens (d)

a) d. l. Papinianus 8. §. Si quis mortis 6. ff. h. t. & l. Parentibus 8. in prin. C. eod. tit. (b) Nouel. 18. cap. 1. (c) dict. Nouel. 18. cap. 1. in fin. Dissentunt multi inter quos est Giphan. ad Auth. nouissima C. de inoffic. testam. in manuscriptis commentarijs, nondum luce donatus. (d) Est & horum auctæ legitima in dict. Nouel. 18. cap. 1. vers. vlt. gl. Bart. Ias. & alijs ad dict. Auth. nouissima, C. de inoffic. testam. & Cuiac.

Cuiac. ad dict. Nouel. 18. cap. 1. & Balduinus in Iustiniano mihi pag. 542. & seq. Fachinae. lib. 4. controuersiar. cap. 28. & seq. Dissentit prater alios Vaud. lib. 1. quæst. 50.

## LIV.

In dubium vocatur, si filius à viuo patre legitimam acceperit, an patris substantiâ postmodum aucta, filius mortuo patre secundum bonorum quantitatem, quæ tunc est, petere legitimam possit? Affirmata sententia nobis potior est.

Per text. in l. Si quando 35. §. 1. C. h. t. Fachin. lib. 4. controuers. cap. 27.

## LV.

Quòd si parentibus & liberis titulo institutionis aut fratribus vel sororibus quo quis alio titulo aliquid relictum sit testamento, quod non compleat legitimam, tunc ab heredibus, quòd minus acceperunt, contradictione ex lege exigere possunt, (a) quæ actio perpetua est, & transitoria ad heredes, etiam non præparata (b) neq; extinguitur renunciatione licet iurata. (c)

(a) d. Nou. 115. cap. 5. d. §. Sed hac ita vers. sin verd. Inst. h. t. & d. l. 30. in pr. vb. gl. in verb. exigere. C. eod. And. Geil. lib. 2. obseruat. 120. in pr. (b) l. Papinius. 8. §. quoniam vers. proinde. ff. h. t. And Geil. d. lib. 2. obser. 120 n. 7. & seqq. (c) l. si quando. 35. §. 1. C. h. t. Vid. Minsing. cent. 1. obser. 36.

## LVI.

Tertiò, locus non est querelæ, si exheredatus vel præteritus repudiauerit hereditatem, vel querelam, (a) vel tacita dissimulatione querelæ renunciauerit, (b) vel agnouerit iudicium & voluntatem defuncti, accipiendo scilicet quod sibi testamento relictum est, (c) modò suo suorumq; nomine ita agnouerit, secus si id quod accepit, alij rursus præstiterit. (d)

(a) l. Qui repudiantis 17. l. Si ponas 23. §. vlt. ff. h. t. l. Si quis filium 34. ibi. repudiauerit querelam, C. eod. t. (b) l. 1. C. de in integr. restitut. minor. (c) d. l. Papinius 8. §. si conditioni. ff. h. t. l. si quando 35. §. Et generaliter. C. eod. tit. (d) §. Si tutor, Inst. h. t. & l. Si pars. 10. §. 1. ff. eod, vide Donel. lib. 19. cap. 5.

t t t

Pacto

## LVII.

Pacto tamen inter patrem & filium effici non potest, ne hic testamentum illius inofficiosum dicat.

d. l. Si quando 35. §. 1. & ibi Dd. C. h. t. Chass. ad consuetud. Burg. Rubr. 7.  
§. 2. Du trespassé, num. 7.

## LVIII.

Quartò, matri & fratribus querela inofficiosi nulla est aduersus testamentum filij & fratri sui impuberis (a) neq; liberis, parentibus, fratribus, sororibus aduersus testamentum militis, quocunque iure, communi, vel militari factum fuerit. (b)

a) d. l. Papinianus 8. §. Sed nec impuberis. ff. h. t. Donel. lib. 19. comment. cap. 5. pag. 282. (b) l. Si instituta 27. §. de inofficio, 3. ff. h. t. & l. De inofficio 9. C. eod. tit. Vide Donel. dict. lib. 19. cap. 5. pag. 283, & seqq.

## LIX.

Adhæc, locus non est querelæ inofficiosi testamenti, si exheredatus, vel præteritus post aditam hereditatem quinquennio tacuerit.

l. Contra 16. & l. si quis 34. in fin. l. Scimus 36. §. illud præterea C. h. t. l. 2. C. In quib. causis in integr. restitut. necess. non sit. Vide Balduin. in Iustiniano, mibi pag. 332. & seq. & Donel. lib. 19. comment. cap. 6..

## LX.

Deniq; cessat inofficiosi querela morte exheredati, vel præteriti, si hic eam viuus non præparauerit.

l. Si quis filium 34. C. h. t. & l. Postumus 6. §. vlt. & l. seq. ff. eod. tit. Donel. d. lib. 19. comment. cap. 6. pag. 291. in fin. & pag. seq.

## LXI.

Restat ultima inspectio de pena actoris succubentis in hoc iudicio: quæ est, quod si suo nomine egerit, amittit id, quod testamento ei datum est, idque fisco vindicatur tanquam indigno ablatum.

d. l. Pa-

d. l. Papinianus 8. §. Meminisse. ff. h. t. vide Donel. lib. 19. comment. cap X.  
pag. 309. & seq.

## LXII.

Quod si impubes arrogatus, qui quartam habet ex constitutione  
D. Pij, agat querela inofficiosi, nec obtineat, non perdit quartam; (a)  
vt nec perdit actor ob hoc donationem inter viuos, vel mortis causa  
donationem (b).

a) d. l. Papinianus 8. §. si quis impubes. 15. ff. h. t. (b) l. Post legatum 5. §.  
Qui mortis causa, ff. de his, quae vt indig. Donel. lib. 19. comment. cap. X.

## Corollaria.

## I.

**G**R A V I S oritur quæstio: An filio à patre exheredato, causaq; in-  
gratitudinis probata, nepos ex sua persona ad inofficiosi quere-  
lam admittatur?

Negatiuæ patrocinium ferre videtur l. si quis filium suum 34. vers. sed nos C.  
De inofficio Testam. l. si quis filio exheredato. 6. in prin. De iniust. rupt. irrit. &c.  
l. 9. §. si filium. 2. ff. de liber. & post. vbi Cuiac. l. 4. §. si quis. ff. de bonor. poss. Cont.  
tabul.

## II.

Dubium & anceps eruditissimus Donel. (a) hoc reddidit quæsi-  
tum, an, si testator ob falsum de morte filij rumorem, liberos præte-  
rierit, & alios instituerit heredes, atq; quædam reliquerit legata, tum  
quoad institutionem, ita quoque legatorum respectu inualidum sit te-  
stamentum? Affirmatam sententiam à veritatis tramite recedere non  
existimo. (b)

a) Donel. in Auth. non licet & Auth. Ex hac causa. num. 9. C. de liber. præ-  
terit. (b) l. inter cetera 30. ff. de liber. & post. hered. instit. l. filio præterito. 17. ff.  
De iniust. rupt. vbi Cuiac. & ad l. 4. ff. de liber. & post. hered. Br. in d. Auth. ex cau-  
sa. vbi tribus cum primis suam corroborat sententiam rationibus primam petit à præ-  
teritione militis per l. sicut 9. & l. si cum. seq. C. De testam. milit. Deinde vero simile  
hanc esse opinatur, quenquam suis successoribus alienos præferre voluisse, l. Cùm auus.  
102. ff. de condit. & Demonst. l. cum acutissimi. 30. C. De Fideicom. l. generaliter 6..

§. fin. C. De Instit. & substit. Tertium argumentum de promint Br. ex l. si vñquam  
8. C. De reuocand. donat. Hanc sententiam confirmant quoq; Paulus Castrenſ. Ale-  
xand. Iason. in d. Auth. Ex causa. C. De liber. præterit. And. Geil. lib. 2. obseruat.  
Practicar. obseruat. 113. num. 1. & 2. Cùm enim hoc de filio ignoranter præterito ex-  
pressè decisum non sit, vt legata sarta tecta conseruari debeant, à iuri antiqui regulis  
certè recedendum non erit, arg. l. 32. in fin. C. De appellat.

## III.

An auus ex filio spurio nepotem heredem instituere possit, qua-  
ritur? Affirmatam sententiam benigniorem esse putamus.

Eo solummodo casu quo nulla soboles legitima superest l. fin. C. de naturalib.  
liber. arg. l. 3. De interd. & relegat. l. 1. §. vlt. l. 3. §. si emancipatus. ff. de honor.  
poss. Cont. tab. l. cognouimus. Cum Auth. seq. C. de heret. Br. in l. Gallus. §. quod si  
is. ff. De liber- & postum. Gayl. lib. 2. obseru. 115. num. 5.

## IV.

Liberis exheredatis, qui nihil ex patris iudicio merueruntrupto  
testamento ius suum conseruandum est; nec opponetur dolimali exce-  
ptio. Quod non solum in persona eorum, sed in heredibns, in perso-  
na liberorum quoq; eorum obtinendum est.

l. Liberis 13. ff. de dolimali, & metus except. vide Cuiac. in lib. 14. quæstion.  
Pauli, pag. 258.

## V.

Si filio exheredato ex Senatusconsulto Trebelliano hereditas pa-  
tris restituta sit, non debet, in quantum facere potest, sed in solidum  
condemnari: quia effectu quodammodo heres est.

l. Si filius fam. 5. ff. Quod cum eo, qui in alien. potest. Vide Cuiac. in lib. 30  
Pauli ad edictum, pag. 75.

FINIS DISPUTATIONIS  
VIGESIMA PRIMA.

Ka 3071  
(3/4)

ULB Halle  
003 261 573

3



sb

Bürobind. 3/1.





**Farbkarte #13**



46r.

# Disputatio XXI.

D E  
FICIOSO TESTAMENTO.

Q V A M

Q. F. F. F. Q. F.

S V B A V S P I C I I S

CLARISSIMI  
DOCTORIS HENRI-  
RI, IVRIS CONSULTISSIMI,  
*s in inclyta Tubingensium Uniueritate lauda-*  
*issimi, Praeceptoris sui summè obser-*  
*uandi,*

I ET ORDINARII EXER-  
citij gratiâ defendere tentabit

JANNES IACOBVS PLEBST  
*Stutgardianus.*



T V B I N G Æ  
Apud Georgium Gruppenbachium.

A N N O M. D C.

rrr

